



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Incarnatio Mystica Sive Christiformitas**

**Roger, Nicolaus**

**[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.**

Cap. XI. Iesvs amabilis ob titulos amatorios.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37940**

laetitia non solum Christo, sed etiam infimo cuique. (g) *Non ad oculum quasi hominibus serviens, sed ut servus Christi, Domino Christo servio.* Urgeat te exemplum Christi, cuius hæc ad nos increpatio potentissima: (h) *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

(g) Eph. 6. (h) Isa. 43.

C A P U T XI.

IESVS Amabilis ob Titulos  
amatorios.

§. I.

**A**MICUS. *Iam non dicam, inquit, (a) vos servos sed amicos.* Etiam Judæ dixit, Amice, sed amans dixit non amatus. Majorem sanè charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, posuit IESUS amicus noster vitam illam suam pro nobis cum inimici essemus, ut amicos faceret. Fidelis est ac promptus ad opem, surget, etsi dormientem simulans, nec propter improbitatem tan-

(a) Ioan. 19.

tum;

tum; sed propter benevolentiam, ubi audierit pulsanter, & orantem: *Amice commoda mihi tres panes,* (b) fidei, spei, charitatis, & cujusvis necessitatis. Cum amicus Lazarus infirmus esset, renuntiavit amico sorores: Domine, ecce quem amas, infirmatur: non dixerunt, veni, amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. (c) Non ausæ sunt dicere veni & sana, non ausæ sunt dicere, ibi jube, & hic fiet, nihil horum istæ, sed tantummodo: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris, non enim amas & deseris. Neque verò deseruit, sed venit, infremuit, lacrymatus est (ô tenebritudinem amantissimi cordis!) excitavit à mortuis. Ecce quomodo amabat Jesus) (d) Illum dilige Christiformitatis amans, & amicum tene tibi, qui omnibus recedentibus te non derelinquet, nec patietur in fine perire.

H 4

Ab

(b) *Luc. 11.* (c) *Aug. tr. 49. Ioan.*  
 (d) *l. 2. de Imit. c. 7.*

Ab hominibus oportet te aliquando separari, siue velis, siue nolis, teneas te apud IESUM vivens & moriens, & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus solus potest te iuvare. At vide, ut sapius te visenti facias locum. Si vellet apud te hospitium habere aliquis senator, non dico senator, Procurator alicujus magni secundum sæculum, & diceret, offendit me quiddam in domo tua, etsi amares hoc, auferres tamen, ne eum offenderes cujus amicitiam ambires. Et quid tibi prodest hominis amicitia? fortè ibi non solùm nullum auxilium, sed & periculum invenires. Nã multi non periclitabantur antequam majoribus jungerentur, exoptarunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent; securus opta amicitiam Christi. Hospitari apud te vult, fac illi locum: noli amare te ipsum, illum ama; si te amaveris, claudis contra illum, si ipsum amaveris, aperis illi,

li, si autem aperueris & intraverit, non peries amando tu, sed inuenieris cum amato.) (e) O homo tu amicus es hominis ob naturæ conformitatem, quia homo est; ne in hoc præponderaret, ideoq; præligeretur homo Deo, Deus factus est homo. Quare si amicus es hominis, qui tecum fit, vel factus est homo, esto potius amicus ejus qui propter te factus est homo, utique propter te redimendum morte humanitatis, propter te nutriendum sacramento corporis & sanguinis, propter te erudiendum exemplis & beatificandum dupliciter duabus naturis.)

(f) Divinâ scilicet animâ tuam, corpore verò corpus tuum. Denique sine amico non potes diu vivere, & si Jesus non fuerit tibi amicus, eris nimis tristis & desolatus. Ex omnibus ergo charis sit Jesus tibi dilectus specialis, diligantur omnes propter JESUM, JE-

H 5

SUS

(e) S. Thom. Op. 61. (f) de Imit. Christi l. 2. c. 7, 8.

sus autem propter seipsum : ita in  
Christiformem evades. Quales enim  
amicos quisque habet, talem scias.

§. 2.

**F**RATER. (a) Non confunditur IESVS  
vocare nos Fratres, dicens Patri, nun-  
tiabo nomen tuum Fratribus meis ; (b)  
Et Magdalena, vade, ait, ad Fratres  
meos, & dic eis : (c) Ascendo ad pa-  
trem meum & patrem vestrum. Qui  
Patri Christi dicit, Pater noster, quid  
dicit Christo nisi frater noster ? non  
tamen sicut Christi Pater, & noster  
Pater. Nunquam enim Christus ita  
nos conjunxit, ut nullam distinctio-  
nem faceret inter nos & se. Ille enim  
filius æqualis Patri, æternus cum Pa-  
tre, Patrique coæternus, nos autem  
facti per filium adoptati per unicum.  
Proinde numquam auditum est de o-  
re Domini nostri Jesu Christi, cum ad  
discipulos suos loqueretur, dixisse il-  
lum de Deo summo patre suo, pater  
no-

(a) Heb. 2. (b) Ps. 21. (c) Aug tr. 21. 10.

noster, sed aut Pater meus, dixit, aut Pater vester: usque adeo ut Magdalena loquens posuerit hæc duo, Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, non dixit nostrum. Sic jungit ut distinguat, sic distinguit ut non sejungat. Verum nos vult esse in se, unum autem & Patrem & se.) Verum etsi major est, nihilo tamen minus frater noster est nobis per omnia similis absque peccato. (d) O Homo amas fratrem tuum, qui tecum dividit, & dividendo diminuit tibi paternum affectum & censum. Hunc fratrem tuum JESUM ama potius per quem erga te crevit amor paternus, per quem hæres efficeris, & ad paternum censum admitteris, quamvis Patri rebellans exheredari merueris, per quem nullum bonum tibi debitum minuitur, sed multiplex bonum indebitum tribuitur. Postremò tradit frater fratrem in mortem, sed

H 6

(d) S. Th. opusc. 6. c. 18.

hic pro fratribus semetipsum tradidit in mortem.) Gravis omninò est in terris annona cœlestium : Adeamus Joseph fratrem nostrum , etsi toties à nobis proditum , horreis divinis præest , (e) *Constituit eum Pater, Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, tantùm manipuli nostri ejus manipulum adorent , ei accepta omnia bona nostra referamus , ne dubitemus, exosculabitur nos injuriæ oblitus, ditabitque ; hic enim est fratrum amator, qui multum orat pro populo Israel, pro cohæredibus suis, ipse primogenitus in multis fratribus. (f) O frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum, sicut mater unicam amat filium suum, ita ego te diligam.*

(e) Ps. 104. (f) 2. Reg.

§. 3.

**S**ponsus. (a) Non sunt inventa æquè dulcia nomina , quibus Verbi animæque dulces adinvicem exprimerentur

(a) *Bern. Ser. 2. post Oct. Epiph.*



rentur affectus, quemadmodum *sponsus*  
 & *sponsa*; quippe quibus omnia com-  
 munia sunt nil proprium, nil à se di-  
 visum habentibus. (b) Una utriusque  
 hæreditas, una domus, una mensa,  
 unus thorus, una etiam caro. Denique  
 propter hanc relinquet ille patrem  
 & matrem, & adhærebit uxori suæ, &  
 erunt duo in carne una. Hæc quoque  
 jubetur nihilominus oblivisci popu-  
 lum suum, & domum Patris sui, ut  
 concupiscat ille decorem ejus,) &  
 unde hoc tibi ô anima, unde tibi hoc?  
 unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut  
 ejus sponsa merearis esse, in quem de-  
 siderant Angeli prospicere avidi &  
 semper pleni hoc, quod habent desi-  
 derantes? Unde tibi hoc ut ipse sit  
 sponsus tuus, cujus pulchritudinem  
 sol & luna mirantur? (c) *Sponsabo te*  
*mibi, inquit, in sempiternum, & sponsabo*  
*te in fide. O vox plena dulcedinis!*  
 Quid retribues Domino pro omnibus

H 7

quæ

(b) *Bern. serm. 7. Cant.* (c) *Ose. 2.*

quæ retribuit tibi, ut sis focia mensæ,  
focia regni, focia denique thalami,  
unde suscipiatur multiplex soboles  
bonorum operum & cœlestium gau-  
diorum de marito te Domine, ut in-  
troducatur te Rex in cubiculum suum?  
Quibus brachiis vicariæ Charitatis  
eum amplectaris & redames qui tan-  
ti te fecit? de latere enim suo, ut ex  
Adamo Evam, jam inde præmon-  
strans te formavit, quando propter te  
obdormivit in cruce, & somnum mor-  
tis excepit, propter te à Deo Patre  
exivit, & matrem synagogam reli-  
quit, & adhærens ei unus spiritus ef-  
ficiaris. Obliviscere ergo similiter  
populum tuum, & domum Patris tui,  
hoc est, dedisce carnales affectus, pra-  
vos sæculi mores dedisce, obliviscere  
consuetudines noxias. Quid enim pu-  
tas? Nonne stat Angelus Domini, qui  
fecerit te mediam, si fortè, quod aver-  
tat ipse, alterum admiseris amato-  
rem?) Quare age si te alieni pelli-  
ciant

ciant seu honoribus , seu delitiis , seu divitiis, dic illis cum S. Agnete & hæc sponsi injuria est expectare placituram. Multo uberiora & præclariora mihi deferens, me nobilior ille prior occupavit sponsus. Is annulo fidei suæ subarravit me, induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circūdedit me, & tanquam sponsam decoravit me coronâ charitatis, tradidit auribus meis inæstimabiles eloquiorum suorum margaritas , circumdedit me vernantibus atque corruscantibus virtutum gemmis , mel & lac ex ejus ore suscepi , ut sciam reprobare malum , & eligere bonum etiam in sermonibus meis , sanguis ejus ornavit pudore genas meas, ostendit mihi thesauros incomparabiles æternæ felicitatis, quos mihi se daturum repromisit. Amo Christum in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus pater foeminam nescit, quem ego & amans casta, & tangens munda & accipiens

cipiens

186 CHRISTIFORMITAS,  
cipiens virgo sum, Ipsi soli seruo fi-  
dem, ipsi me totâ devotione com-  
mitto.

Verum ô sponsa vide ut absentem  
sponsum omni vitæ tuæ momento ex-  
pectes ac desideres: si enim quidpiam  
agens dicensve mori nolles, nonne  
adulteræ est sponsi adventum timere?  
quin tu potius in vitæ discrimine  
gaude & dic: ecce sponsus venit, exi  
anima mea obviam ei.

§. 4.

**M**Ater sub Gallinæ Evangelicæ  
typo. Maternum erga nos affe-  
ctum etiam amore præfervido amici  
fratris, & sponsi vehementiorem de-  
monstravit Dominus Jesus seipsum  
Gallinæ assimilans, quoniam infirma-  
tus est usque ad mortem, assumpsit in-  
firmitatis carnem, ut pullos Hierusa-  
lem colligeret sub alas suas tanquam  
gallina infirmata cum parvulis. Audi  
lacrymabiliter ingemiscientem: Hie-  
rusalem quæ occidis Prophetas, & la-  
pidas

pidas eos qui ad te missi sunt, quoties  
volui congregare filios tuos, sicut gal-  
lina congregat pullus suos sub alas, &  
noluisti. O similitudinem mellifluæ  
dulcedinis plenam ! Nullam aliam  
avem aliquando conspeximus infir-  
mari cum parvulis, gallina quomodo  
hoc habet ? certè notam rem dico,  
quæ in conspectu nostro quotidie ver-  
satur, quomodo raucescit vox, quo-  
modo fit hispidum totum corpus ? de-  
mittuntur alæ, laxantur plumæ, & vi-  
des circa pullos nescio quid ægro-  
tum, ut etiam si pulli non sequantur,  
filios non videas matrem tamen in-  
telligas. Et ea est materna charitas  
qua invenitur infirmata. Quare ergo  
Dominus nisi propter hoc gallina esse  
voluit ? Congregavit autem omnes  
gentes tanquam gallina pullos, qui  
infirmatus est propter nos accipiens  
carnem à nobis, id est à genere huma-  
no crucifixus, contemptus, a lapis cæ-  
sus, flagellatus, ligno suspensus, lancea  
vulne-

vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amissæ majestatis: Habet hoc præterea gallina, quod difficilius in cæteris animantibus invenies, alis suis filios suos protegens contra Milvum pugnat. Sic etiam mater nostra sapientia Dei infirmata quodammodo per carnis susceptionem protegit infirmitatem nostram & resistit diabolo ne nos rapiat; & quidem affectu tanto majore pro nobis pugnat, quanto ille gallinæ affectus qui incubæ tantum est, non matris ab infinito divini paternique cordis erga nos amore (cujus iste rudimentum qualecunque est) distat. Infirmatus ergo Jesus nobiscum fortis est, pro nobis adversus diabolum. Noli tu infirmari in illius infirmitate, fortis esto, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: spe fortis eris, oratione fortis eris, oratione quidem sicut pulli qui gallinam matrem querula voce, quamdiu infirmi sunt jugiter

ter

ter inelamant , nisi cum tuti sub ejus  
alis , certique maternæ sollicitudinis  
non egent : sic tu Jesum semper ora,  
Jesum semper inelama , quia infirmus  
es , semper eges illo. Spe verò etiam  
futurorum fortis esto ; spes ovo com-  
paratur , ea foris nondum pervenit ad  
rem , & ovum est aliquid , sed nondum  
est pullus , est spes pulli , testudine re-  
ctum est , non videtur , quia operitur ,  
cum patientia expectetur , ferveſcat ,  
& viveſcat. Ovum ergo nostrum , id  
est spem nostram rerum nondum ap-  
parentium , beatam illam spem ad-  
ventus gloriæ magni Dei , quam ex-  
pectamus , sub alis gallinæ Evangelicæ  
ponamus , non nobis dicatur , quoties  
volui & noluiſti , (audiant Auguſti-  
num inimici gratiæ ſufficientis. Ovo  
denique nostro ſcorpium timeamus.  
Non perimat mundus spem nostram  
cauda ſua , illis videlicet quæ retro  
ſunt , nos trahit ad retro reſpicien-  
dum , nempe res fluxas , non verò ante-  
riora

190 CHRISTIFORMITAS,  
riora quæ speramus.) Gallina denique scorpis devorat & in ovum concoquit, & Jesus nobis faciet cum tentatione proventum, adeo ut si exurgat adversum nos prælium, in hoc sperare debeamus. O Domine Jesu, custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me; & ab æstu carnalium desideriorum, & à facie impiorum qui me affixerunt. (d) Bona & desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei Domine Jesu miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

## C A P U T XII.

*IESVS Amabilis in figuris.*

**A**ron sacerdotio, & mirificâ virgâ crucis.

Abel innocentia, Sacrificio, martyrio

(d) Bern. Ser. 2. in Missus.